



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annvs Sanctvs Ac Fortvnatvs

Coloniæ Agrippinæ, MDCXLVIII

S. Ioseph Sponsvs B. Virginis. 19. Martij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53246)

S. IOSEPH SPONSVS B. VIRGINIS.

19. Martij.

1. Ioseph ex regia stirpe David progenitus, prius in utero matris sanctificatus à pluribus Doctis viris habetur, Proprio nomine Augmentum dicitur, quia gratia DEI impulsu in virtutibus semper crescere & augeri studebat. Hinc nullus inter Contribules eo dignior inventus est, qui MARIAE matris DEI, Reginae coeli verus Sponsus fieret. DOC. Esto & tu in Virtutibus proficiens, ac filius accrescens Ioseph, Deoque placebis.

2. Memento (ait Bernardus) magni Patriarchae Iosephi in Aegypto venditi hunc Iosephum non solum nomen fuisse sortitum, sed & castimoniam, quam toto tempore seruauit adeptum, innocentiam eiusdem etiam affectum, & gratiam. DOC. Has & tu virtutes imitare, & gratia Dei frueris.

3. Non est dubium, quin Ioseph fuerit Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: suae scilicet Matris solatium, in omnibus itineribus & persecutionibus: suae carnis Nutritium labore manuum (erat enim Faber) vitae necessaria acquirentem: & solum in terris magni consilij Coadiutorem fidelissimum. DOC. Magna est Iosephi dignitas, Imitare pro Filio DEI laborantem.

4. Apparet Angelus in somno Ioseph, docet mysterium incarnationis: nato IESV, mandat cum eo, & Maria fugam in Aegyptum. Manet ibi iussus vsque dum aliud Angelus dicat ei. DOC. Committe te Angelo, fide ei, & obedi, seruaberis.

5. Moritur Nazarethi inter IESV & MARIAE brachia precesque sanctas, vt his verbis eius prodit officium Felix quem in vlnis Iesus & Maria Tenuis cubantem, dum in Agonia Spiritum efflantes, ac directa via Tenderes ad Patres sanctus vita pia. DOC.

Inuoca eum pro felici
morte.